



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

VIII. Beatam dicunt pauperes; quia est illorum Ditatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

ens. Benè itaque à *Geometra. hymno 4.* Virgo appellatur Medicina ægritudinum nostrarum. Tanquam receptam Medicam reliquit *Richard. à S. Laur. lib. 1. cap. 2.* Tristatur aliquis, continuo ad nomen Mariæ recedit nubilum, serenum redit. Et rationem dat *lib. 1. cap. 2.* Nomen Mariæ duritiem apostematis, quod designat superbiam, emollit, & sedat tumorem cordis. Felix itaque qui hoc nomen Mariæ in corde, & ore frequenter habet: quidquid ibi superbiæ indurat, de tanti vocabuli virtute emollietur.

Concludat *S. German. dicendo orat. de Præsent. B. V.* Medicina insanabilium vulnorum nostrorum, S. Virgo est. S. Theod. Siceotes Anachoreta factus Episcopus Anastasiopolitanus, cum à quibusdam porrectum in potu venenum nescius accepisset, triduoque velut mortuus jacuisset, apparuit illi SSma Virgo, & sceleris authores aperuit, & tres illi porrexit pilulas medicas dicendo: Comede, & nihil mali residebit in venis quod te magnopere turbare queat. Apud *Maracc. Antist. Marian. fol. 525.*

### 8. Beatam dicunt pauperes.

Quia est illorum Ditatio.

Non solùm æterna nostra curæ sibi fecit Virgo S. sed etiam temporalia. Pareat id ex hist. quam *Augustinus Mannus in bist. rerum. memor. in Ecclesia Dei caps. 79.* recenset. In Hispaniæ Regno Cantabria, est imago B. Virginis Anaglyptica, præter gemmas quibus eam copiosè exornavit pietas clientum, erant crepidæ argenteæ. Vir erat quidam probus, sed egenus, Virgini certè devotissimus, dum hic suas necessitates, filias indotatas jam nubiles, familiam esurientem, se ipsum in lacera veste Virgini in oratione sistit, projicit illi Virgo crepidam, annuens ut acciperet; accepit, sed dum argentum in pecuniam apud aurifabrum mutat; sacra crepida agnoscitur, miser rapitur, damnatur ad restum. Hic verò ingemiscere beneficio, & dum jam ad fatalem deducitur trabem, orat, impetratque ut Virgini sisteretur, ob cuius beneficium damnabatur. Orat palàm, quæ ultima hora, & calamitas monebant, populus aderat frequens: & ecce pientissima Virgo alteram crepidam jacet ante pedes miseri, & simili nutu monet, ut recipiat munus, cohorrui spectaculo populus, & innocentem absolvit.

Aliud refert *Gregor. Turonen. lib. de gloria M.M.* Hierosolymis in Monasterio tantus erat rerum defectus, ut agitaretur de solutione, idque urgebant ipsi maxime, qui patiebantur. Detinet Abbas fixa spe in B. Matrem, orationemque no-

Sturnam indicit, & ecce manè ita horrea tritico repleta, ut vix ostium granarum aperiri posset. Redièrat per longum tempus similis calamitas, rursus Abbas ad Divam & ad preces reduxit monachos, dum manè Abbas celebraturus sacrum altare accedit, vim auri ingentem in eo reperit, quod nemo inferre poterat, ostio oppesulato, & custodiâ certâ. De Theodoro Archimandrita in ejus vita simile quid refert *Gregorius Presbyter*. Ad extremam inopiam cænobium devenerat, in super ramorum ferix imminebant, in quam diem multitudo hospitem confluere solebat: jubet plenus fiduciæ Theodorus reliquias farinæ in altari D. Virginis deponi: & ecce postridiè triginta naves Cypriæ onustæ frumento ad monasterium appulerunt. Visitabat S. Petrus Thomas Carmelita quoddam Ordinis sui monasterium, uti est apud *Maraccium in Antistis, Marianis fol. 446*; sed illud egestatis fuit oppressum, sed dum orat S. Virginem, ab illa auditur: Nè timeas Petre, omnia necessaria tibi adjicientur. Posteriâ die venit Angelus in specie mercatoris, qui tantum auri attulit, quantum ad sublevandas necessitates monasterij suffecerat, atque auro dato disparuit. Itaq; facit huc titulus, què dat illi *Divus Bonus in litania* Mamilla est orphanorum, & Consolatio afflictorum. Vel quod monet *Richardus à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. part. 1.* Serviendum Mariæ, quia pastum subministrat famelicis, & potum sitientibus, undè de illa dici potest, sicut de Filio *psalm. 54.* lactis cogitatum tuum in Dominam, & ipsa te enutriet, ipsa enim esurientes implet bonis, & dat escam esurientibus. Et quod *idem lib. 1. cap. 2.* Dignitatem & efficaciam Nominis Mariæ videtur Salomon innuere dicens: *Melius nomen bonæ, quàm divitiæ multæ* Prov. 22. Mariæ siquidem nomen longè melius, quàm divitiæ corporales, quia melius angustiam relevat paupertatis.

Testimonia fulciat *historia*. Obsederat Hali Arabs Madritum ingentibus copiis, urbs fame pressa, nè deditionem faceret, cui proxima erat, ad templum, & Virginis auxilium confugit; interim puer quidam per fodit aliquantum murum Ecclesiæ, & ecce triticum tantâ copiâ fluxit, ut non solum ad multorum dierum alimoniam toti populo sufficeret, verum etiam ut in hostes possent plenis sacis effundere in signum suæ abundantiae, quo hostis percussus, statim recessit. Hoc desumptum ex *actis ejusdem Ecclesiæ & picturis*. Undè Mardocheus tam subitò (*Esther 2.*) ad fastigium tam sublime evasit? ad *Januam*, inquit scriptura Regi morabatur. Nostra Sacra Virgo teste Ecclesia est Regis alti Janua. Ultima tribus erat Benjamin, ramem dum terra dividitur *iosue 18.* prima sorte exit. An quia scilicet matrem habuit *Rachelem*, quæ *Richardo lib. 4.* adumbrat Deiparam? *Oleo* Deus utebatur ad designandos Reges. Oleum est *Ambrosio cap. 3. instituit. Virgo*

Virgo Sacra. Famulabatur Moyfi Josue, hic successit Domino in principatu. Dat causam Scriptura Exod. 33. *Minister ejus Josue, Filius Nun, puer, non recedebat de Tabernaculo, Richardo, Et alij Tabernaculum designabat Deiparam.* Sic Salomoni Regnum 3. Reg. 1. *Bersabea impetrat, Jacob conspectâ Aurorâ Genesios 32.* nomen sublime Israelis accipit, quæ omnia figuræ Virginis, pauperes eriguntis.

9. Beatam dicunt ejus cultores, quia velociter exaudit.

Asservatur Messanz in Sicilia imago D. Virginis à S. Lucea depicta, appellatur de Litera, eò quòd in eodem facello literæ B. Virginis quas ad Messanenses dedit, sint repositæ. Huic S. Lucas græcè inscripsit: IGORGO EPICOOS. Velox Auscultatrix. Audaçter, sed verè *Anselm. de Excellent. Virg. cap. 6.* Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quàm invocato nomine Jesu unici Filij: & id quidem non ideo, quòd ipsa major, & potentior eo sit: nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsum; sed quia Filius ejus Dominus est, & Judex discernens merita singulorum; dum igitur ipse à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profectò id justè facit: invocato autem nomine Mariæ, etsi merita in vocatis non merentur ut exaudiatur, merita tamen Matris merentur ut exaudiatur, imò ipsa occurrit. (*B. Amedæus hom. 8. de laud. Virg.*) Motu celerrimo Seraphim alas excedens Virgo nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis, nunc terras signis & virtutibus illustrans, ubique suis ut Mater jucundissima, & mirificentissima occurrit.

*Richard. à S. Laur. lib. 5.* Maria ad subveniendum promptior omnibus Sanctis, miseris subveniendo, ut dicere de ipsis miseris videatur cum Filio illud *Mat. 65. Antequam elament ad me exaudiam eos.* Et quidem occurrit cum celeritate. *Richard. à S. Novar. elect. lib. 4. n. 696.* Meritò misericordia Virginis cursu hinculorum comparatur, cum per mundum currat, velocius occurrat, quàm invocetur, & causas miserorum anticipet. Et est universalis (*Jdiota in prologo.*) tanta ejus benignitas, quòd nulli formidandum est ad eam accedere, tantaque misericordia, quòd ab ea nemo repellitur. *Bonav. in spec.* Gratia Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat universos. *S. Bernardus, vel Autor serm. in salve Regina.* Agnoscit Virgo certè, & diligentes diligit, & propè est in veritate invocantibus se, præsertim his quos sibi videt conformes in castitate, & humilitate. *Viderat Genes. 28. Jacob scalam,* per quam Angeli sine cessatione ascendebant & descendebant. *Hæc Scala est, inquit Bonav. in laud. Virg.* per quam ut ascendunt